IOAN. SAMBVCI PAN.
ORATIO,
IN OBITVM GENEROSI AC MAGNIFICI ADOLESCENTIS GEORGII

Bona Tranſyluani, Domini in Landſeehr, & Laknpach &c. Qui mortuus eſt, VI. Septemb. anni 1559.

Addita ſunt in fine doctiſſimorum aliquot virorum Epitaphia Græca, & Latina.



PATAVII. Gratioſus Perchacinus excudebat 1560.

MAGNIFICO DOMINO NICOLAO

OLAHCZASAR &c.

SAMBVCVS

S. D.

ORatiunculam de obitu fratris hanc meam accipies, vt amoris erga vtrunque, & memoriæ ſemper futuræ teſtem: ita verò leges, vt in maximarum laudum ingreſſu, progrediaris: nec vllo aut luctu, aut moleſtiis animum contrahas, quin egregiam patrię voluntatem, apertè, vt cœpiſti, ſuppedites, atque tueare. Nihil tu fratri amantisſimo gratius, nihil amplitudine iſta tua, & ſpe omnium dignius præſtiteris. Vale. Patauio Calen. Octob. 1559.

ORATIO FVNEBRIS,
in obitum Generoſisſimi, ac Magnifici Georgij Bona, Domini in Landſechr, ac Laknpach, &c.
Authore Io. Sambuco P.

BReuitas vitæ, quæ incerta eſt, facit, vt in eius termini ignoratione, ac minima ſolicitudine, tamen pulcherrimarum rerum ſtudio, quæ conueniunt, adminiſtremus. Si enim quemq́ue ſuus quando manet exitus, intelligeremus: falli poſſum, minus commodè nobiſcum ageretur. Maxima, certè, pars, qua peruerſitate abripimur, clementia Dei aut inſolens fieret, diuturnitatem ſi præcepiſſet, aut, qui peccarũt, breuitate deſperarent, vel emendationem longitudine differrent: multaq́ue omnino in omni coniunctione iſta vitæ turbatius mouerentur. Ita fit, vt quiſq; dum horam diſceſſus minimè dubij, parum cogitat: magis

in officio contineamur, qui θεοφιλέστατοι ſunt, ęquè de reliquò animi, & qui cum ęxcuſatione offenderunt, pendeant: vt tanquam nihil eſſet, ſic mortem exiſtimemus. Ac mors quidem ipſa per ſe malum non eſt, ſi carentia ſenſuum, & indolentia omni eam complectamur, quod è ſomno quotidie videmus: verũtamen quia culpa contrahitur, in metu nos, ac ſollicitos habere illius memoria debet: &, ſi in perpetuos cruciatus ſit abitio, etiam vehementer terrere. Neq; enim brutorum finem, & noſtrum eadem conſequuntur. Eorum vltimus finis, & extremum ſimul eſt ſenſuum vacuitas: at nobis præterea longè optimus, & cuius ergò reliqua ſunt vniuerſa, proponitur. Nam vt ratione illa nihil in ſuum Creatorem peccarunt, & ad vſum poſita noſtrum, propter nos quiddam patiuntur: ita quibus optio libertatis conſeruandæ, & amittendæ, cum intelligentia data fuit perpetua, & adhuc inhæret: eos de vita præmia, vel pœnę deſcriptæ nullo tempore, manebunt. Longè igitur, qui ſciẽter Chriſtianam felicitatem abijciunt, nec aliquando facti vt pœniteat, in animum

inducunt ſuum, in luce nunquam, aut ratione relictos fuiſſe, præſtaret. Tanta eſt infernorum acerbitas, & horror, itaque ſeuerè pœnas Deus exigit ſempithernas. Quocirca qui ſe non in vita eſſe, modò vt ſint, ſed ſanctè & compoſitè vt viuant, conſiderant, benè, beatequé conſiderant: quòd in hoc domicilium nos error deturbauit: adeoqué corpuſculum iſtud labis ſuſceptæ velut quoddam tegumentum, non ornamentum obduxerit. Et ridiculi ſunt, qui luxu, ac ſuperbia diffluentes, in eam opinionem aberrarunt, vt, quò ſe omnis generis ornatu præ cæteris lautius onerant, hoc elegantiores, alijsqué ſe anteferendos arbitrantur: cùm neſciant hoc magis turpitudinis, & viciorum, quò plus eſt cooperimenti, ſubeſſe poſſe? nam quô Adam à prolapſione tegmẽ, niſi næuos, & maculas innuiſſet, erubeſcens quęſiiſſet? ſed ad prima. Cauſa quibus infeſtamur calamitatum, non Mors ipſa eſt: ſed potius leuatio, qua via, & aditus ad conſuetudinẽ diuinã bonis paratur: eamqué forti in Deum animo vincere ſolemus. Hoc modo, & rerũ termino ſalutem niti, non illo Protagorę men

doſo homine, credamus: hac ſpe conſolationis, & victoriæ Paulus & alij dum iungi de vita cum Chriſto expetebãt, præditi fuere. Nec disſimiliter optimus hic, & amantisſimus frater, modo ad ęthernitatem ſperatam commigrauit: quam, pręter ætatem curis, & ſpe inanium vexatus, tantopere exoptabat vicinam, maximo præſentem animo contempſit: ſe vti liberum, nõ infractum moleſtijs redderet, ac expedita conſcientia ad iudicium longè ſanctisſimum ſiſteret. O, felices, qui Iudici tanto probabuntur, ò miſeros, qui eiuſdem ſententia, bonorumqúe teſtimonio excludentur: vnde ratio nulla pôſt ad gratiam, & lenitatem futura eſt. Non enim dubito, qui perniciosè ab hac luce criminoſi diſceſſere: mentes eorũ confuſas in tenebris, vel nunc cognitione mutua priuari, nec pręter mille tormentorum, vllam relinquam communitatem: qui vero diuinè, & animi perſuaſione recta abiuerunt, lętari mutuò, & in expectatione integri Iudicis: qui ſe pro tribunali gratos, & amicos pronunciet, infinita eſſe: illas trementes Chriſtum perhorreſcere. Quarè tecum, mi Georgi, be-

nè actum, quòd in hac ſolicita quidem, ſed ru di facinorum, & vacua ferè mali ætate, nauus, pudens, probus, æqua pietate ſublatus ſis: nec quod infeſtum fuit, territat amplius, quod fefellit, ſperare iubet. Vniuerſa, ſcilicet, tibi pa tent, nihil obſcurum, nihil, quibus cœlum per luſtras, ab oculis ita remotum: quin abſque alucinatione penetres, totumqúe perſpicias. Nos verò longè te inferiores: qui dubia & referta malis vita ſuperamus. Nam quid dici pò teſt, cuius nos habere ſcientiam, quid lætum, cuius partẽ non afflictã, quid cum aliquo fructu ſociatum, quod ſine difficultate perſentiſca mus? Næ tu optima, & ſingulari Dei proui dentia liber, cœleſti conſenſu beatorum gaudes, noſtrás ineptias rides, improbitate, & vicijs, in quibus ſuperbimus, longè maximè doles. Id tua in Deum fides, erga tuos pietas, id in omnes mirifica obſeruantia, per Deum authorem, contulit. hæc præmia boni optata ferunt. Nam qui hunc norat, à me de illius vita, & ſalute quis diuerſum ſentiret? Cui non conſtat, qua contentione mentis in cœlum, probitate in proximum fuerit: Si commemo

rare eius conſilia, acta, vitam omnem inſtitue rem: quin plura, quàm memoria ſuppeditaret, prætermiſſurus eſſem. Veruntamen officio, & partim conſuetudini vt inſeruiam, ac quibus viſus non eſt, in ſermonem, & gratiam aliquo modo ponam: non ſine dolore, quæ in hoc luctu mihi, de illo ſuccurrent attingã: de quibus quãtum adoleſcẽtẽ amiſerimus ꝙ paucos habeamus ſimiles, facilè cõſtituant. Prouinciç rhomanorum pars fuit Dacia, nũc Tranſyluania vulgo vbertate, & omnium terra naſcentium copia, in primis auri & argẽti fertilitate nobilisſima: quæ ſola nondum maleficio Thurcæ, atque furore pertentata, quò minus ille imperium, Noricum verſus producat, impedit. Huic olim Romani tributa pẽdebant, vt Traianus maximo ſuorum detrimento, ea ſubacta, colonias deduxerit, Hadrianus idem experiri, non auſus ſit, Aurelianus Gottis inuadenda reliquerit. Ex ea noſter Bona, hoc eſt Cibinio, eius regionis ciuitate frequentisſima, oriũdus fuit. cui iam naſcenti, omnes bonam mentẽ diuinitus precabãtur. Facili admodum Matris nixu, & hilari prodierat:

rat:

rat: vt ex eo præclaram ſuis opinionem attuliſſe, & ad omnem laudem natus iudicaretur. Quibus verò parentibus, notius eſt, quàm vt oratione mea ſignificetur. Siquidem Mater Vrſula, vetuſtiſſima Vaiuodarum Mœſiæ inferioris, & penè Flaccidij gentilium familia, ſoror Ampliſſimi Archiepiſcopi Strigonienſis, quæ patrem Præfectum ſeu Iudicem Regium habuit, eſt profecta, tot tanquam illuſtribus adhuc animi & corporis dotibus, hoc luctu penè oppreſſa, elucet, vt modeſtiſſimæ, & admirandæ in Deum pietatis fœminę ſit exemplum. quid enim vel cogitauit, vel ſuſcepit vnquam, quod recto conſilio, & ſalutariter perſecuta non fuerit? Quo metu, verum quod exiſtimat, quibus damnis ab eo demoueretur, firmitate & cōſtantia, familię ingenerata perſona heroica. Patre verò quali? Georgio & ipſo Bona, principe ſuæ ciuitatis, & nobilitatis, cum Rapoldiorum gente coniunctiſſima. Tanta ille ſemper fide, atque humanitate erga quoſuis, dum vixit, erat, vt nulla offenſio animi alicuius, ex eo prodierit. Erga verò Imperatorem noſtrum Ferdinandum eam conſtantiam ſibi

tuendam cenſuit: vt, dum diſſenſiones, & tur bæ inteſtinæ, Baronum ſtudijs excitatę, arderent: nũquam vel prę mijs, vel minis à fidelita te deduci potuerit: multa iniquè, cum iniuria rei familiaris nõ negligenda ſuſtinuerit. Quin etiam aliquando ab aduerſarijs exceptus, cum adduci ad confirmandum in ſuum Regem odium, nequijſſet: crudeliſsimo, & fœdo detentus carcere, niſi voluntate ſummi Dei: qui in hanc lenitatem inimicos impulerat, vt gran di pecunia ſe redimeret, ad inuiſum, & miſera bile necis exemplum, raptus fuiſſet.

Nihil fingo, mortuus ab hinc quinquẽnium eſt, in memoria omnium recẽti fortitudo eius, & notæ laudes virtutis extant. Cumquè diu tius eſſe domi per eos, qui in odium ſucceſſerè publicum, vita, & fama incolumi eſſe haud liceret: Viennam, Patria relicta, ne vlla coitionis ſuſpicio excitaretur, ſeceſſerat: vbi ſum ma Nicolai Olahi, & aliorum beneuolẽtia floruit, ſalutarem, & bonum ſe virum prębuit. Omitto alios propinquos, & affines, quorum numerus, & ſplendor eſt infinitus. Talibus ergo parentibus quî edi humile, & abiectum

potuiſſet? οὐκ ἔστιν ἐν κακοῖσιν εὐγένεια. Extabant in hoc adoleſcente vniuerſa, quę ornamentum non patriæ ſolùm, ſed totius orbis illum fore, non obſcuris indicijs, monſtrabant. Sic à puero cum eruditis, & laudatis aſsiduus hærebat: vt nullo modo auelli ſe pateretur: nemo impetrare ocium, quod ampliori fructu non ſarciretur, facilè potuit. Ingenij celeritate, ac memoria domi omnem ſcientiam liberalem complexus: ad Italiã ab Auunculo, maximo Præſule, vnà cum Nicolao Iſtuánffij, nobili, ac erudito adoleſcente, ęquali ſuo, miſſus: quinquennium, quo ibi fuit, ſanctè, & multorum amicitia, non minori progreſſu literarum, verſatus eſt. Sic ex tempore Italicè tum loquebatur, tum ſcribebat, vt nihil præterea noſſe videretur: latinè autem dicere ſubito ita cõſueuerat: vt ad eam gloriam ſummopere excelleret. neque linguam græcam leuiter attigerat, memoriam antiquitatis, & rerum geſtarum intelligẽter, & aptè pronunciabat. Non equidem neq; ficta, neq; audita refero. Interfui, ac præfui eius ſtudijs quaſi annos quatuor: quibus nihil quod ætatem nõ deceret, aut valetudini obeſ-

ſet, vnquam admiſit. Cumqúe ita ingeniũ, & mores expoliuiſſet: ad maiora ipſum Auunculus adhibiturus, domum reuocarat; quantum diligentia, & ſtudio profeciſſet, vti exemplo doceret, iusſit. quod ille, non moleſtè, faciebat. Bis apud Imperatorem hunc, eleganti oratione habita, ſe in gratiam eius, & benignam voluntatem inſinuarat, vt in omnium oculis vita, & ſtudia eius verſarentur: & ſi vixiſſet, breui ad maximos honores euocatus, quantum indole, & iuuenili exercitatione præſtaret, comprobaſſet. Quo enim altius euectus eſſet, hoc tanquam è ſpecula, quod ſe, ſuaqúe dignum induſtria putaſſet, laudabilius perfeciſſet. Ad eam verò laudem quantum ſpei, in Archiepiſcopo ſuo, qui autoritate, &, quem habet, vſu quiduis poteſt, conſtitutum habuerit: quiſqúe pro ſua prudentia cõſideret. Qui præſes, reliquias patriæ tuetur, ac ne tota in ſeruitutem diſcedat, procurat: qui idem hic non Ferdinando, apud quem ſummo eſt loco: ſed quantum hominis memoria fert, cunctis Auſtriæ Ducibus, æquè carus, & fidelis extiterit: ecquid prohibuiſſet, quin Nepoti iuſtè inſtitu-

to, & maximos fructus allaturo, quęuis obtinuiſſet? Atque vt penitus adoleſcentis naturam, qua Præſul mirè delectabatur, perſpiceret, ac firma eſſe, quorum ille ſignificationem extulerat, videret: in Bohemiā ipſum doctiſſimo Epiſcopo Quinqueeccleſien. Georgio Draſcouithio, traditum, cum Imperatore, atq; electionem Francoforti ſpectandam miſerat. Vbi in tanto comitatu, ac opinionum varietate, nulla mutatio animi, nullum ſimulatæ virtutis veſtigium comparuit: ſed licentia quorundam ad maiores potius cogitationes nitebatur, & in rem chriſtianam haud languens excitatus erat. Præterire illud hîc nequeo, tāta eum verecundia fuiſſe, vt rarò, & parum loqueretur: ſeque Pythagoreum amicis, per iocum dictitaret: nec tamen eam ſibi naturam diſplicere, quòd temporè tacuiſſe, quàm ineptè nugari, datis à natura binis auribus, lingua vnica, præſtaret. Calliſthenis more ſilētio tutum ſe, raroque ſermone gratum malle viuere. Huius enim generis ſententias magna ſuauitate pronunciabat. Qualis & illa ſæpè vſurpata: Qui taceat, multis eum legibus opus non habe

re. Et Platonem rectius dicturum fuiſſe: phi loſophiam meditationem non mortis, ſed vitę eſſe perpetuæ, atque incohationem. Paratus iam illi apud quemuis Principem virum, honeſtisſima conditione locus erat, qui ad virtutes maturuerat: ſed auunculus, donec ętas grauioribus reſponderet: expediendis communibus, & priuatis negocijs eum domi vtiliter exerceri voluit. Ea re in omnium notitiam veniebat, dumque vehementius ad laudem incumbit, diuino adoleſcenti, quod, proh dolor, nimis crebro vſu venire cœpit, morte vt præriperetur, accidit. Deus enim, quem in partem ſuorum bonorum elegerat, aliqua occaſione, ſi id fieri poſſet, & producta vita, ne diſiungeretur abſtulit, in domicilio, quò mens reſpectabat, ſaluum collocauit, beatorum conſortio, & pura ſocietate, his exemptus impedimentis, lętatur. hæc nimirum ille ſponſalia, has nuptias fratris toties ſomniabat. Etenim, ſi neſcitis, ſumma in voti alacritate, in tam optatis diu fratris ſui ſponſalibus, quæ amplisſimæ tum dabantur, febri arreptus, ſextum morbi diem vix attigit: ſed malo feſſus, animi pietatem vel defecta lin

gua, & mota intelligentia, chriſtianè primum confeſſus, abijt, exceſsit, è carcere animi, vigeſimo ætatis anno feliciter euaſit.

Cadauer eius Sopronium, maxima funeris pompa, comitantibus optimis, ingenti fletu deportatum: ſpe reſurrectionis ſepelitur. Erat viribus, & corpore mediocri, proceritate commoda, ore, vultuq́ue decenti, ac ſemper hilari: vt præter alios, natura illi præcipuum hoc tribuiſſe viſa ſit: inſpecta facie, ingenium ac mores, contrà, quàm Medea queritur, ſimul vt deprehenderes, atque intuerere: ad motus corporis, & exercitationis mira promptitudine. Et quamq́ fruitur ille gaudio, quod extremo non definitur, & eſt in ſemper conſtantibus depoſitus: tamen æquo animo eius abſentia patriæ, nobiſq́ue omnibus minimè ferenda venit: quia ad communem vſum datus, & Regno ſubtractus videtur. Nec mihi Sophoclis illud, in hoc exemplo probatur, qui mortales quàm vtiles futuri ſint, quia ignoremus, iccirco lugendos prohibet: nec ſemper τῶν μελλόντων τετύφλωνται φρένες. Nunquã hæc manifeſta indicia expectationem feſelliſſent:

nunc eius obitu vehementer perculſi, iacemus. Equidem cui ita familiariter iunctus erat, vt, quî cum arctius viuerem, in omni vita habuerim, & fortè habiturus ſim neminem: eius me importuna mors ita perturbauit, vt perpetuò mihi mœrendum exiſtimem. Dici nequit quo ſenſu, & amore, qua morum, & ingenij ſimilitudine vixerimus: quàm omnibus conſpiratio hæc naturæ admirabilis noſtra, dum vixit, fuerit, & eſſe, dum deſijt, reliqua memoria in animo reſideat meo, inq́ue dolorem vocet. Sed non tam mea, vel etiam illius, quo cum benignè ſit, quàm Regni miſerè vexati, vel potius euerſi cauſa, vitã eius requirendã puto. Quo in ſtatu res Pannonicæ ſint, vtq́ue ad omnes vexationes proditæ ſint, ad interitum inclinarint, videmus. Hoſtem maximum, potentisſimum, hoſtem formidabilem, à cuius poteſtate nihil ferè vacuum eſt, habemus: huic quomodo occurrendum, quo conſilio ius, & priſtinam dignitatem recuperet, nec quæritur, nec modus eſt: nec, ſi fieri posſit, ad veterum memoriam excitamur. Vetuſtisſimę quęq́ue familiæ pœna Dei ob crudelitatem, & inaudi

tam

tam domi tyrannidem oſtenſam, extinctæ, vel ſeditionibus, qua gloriantur, diſtractæ, vel caſu vitæ ablatæ ſunt. Nouæ, ſi quid autoritate conſequerentur, diuitijs cogendis, aut ocio deditæ, poſteritati ſalutem non queunt polliceri. Quotus enim quiſque eſt, dicam vti res habet, ac ſentio, de quibuſdam, qui antiquæ virtutis monimēta ſequi, & poſſeſſionem laudis, fortitudine maioribus comparatam, retinere, multò minus auctam producere cogitat? vt me ſæpè miſeratio, cum lachrymis, tangat. Non Mathiam Auguſto feliciorem, Traiano meliorem, non tot Romanis Imperatores credo, dabimus. Metuendū nunc omninò Poetę dictū, cuius verſus, ſingulas Orator ſententias putabat: τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας φέρειν χρεών. Nemo autoritatem interponit, qui vel temerarios puniat, vel vt olim Cl. Neronem, & L. Salinatorem, acerrimè diſſociatos, vt roboraremur, conciliet. Auaritia, & priuatū quemq; cōmodum ita occupauit, vt mala publica non ſentiant, niſi quantum ad priuatas res pertinēt. Cum enim ex ſuo quibuſdam contribuendū, ibi demum, vt in publico funere, conqueruntur

velut Hannibal de Cartaginenſibus aiebat: Quàm vereor ne nos propediẽ vniuerſa pernicies abſumat, ſeroqúe ſapere incipiamus. Si quiſquam præclara cupiebat, & efficere potuiſſet, hic profectò, cumulatisſimè omnibus ſatiſfeciſſet. Prudentia ſenili, conſilio & voluntate probata, ſtudijs laudabilibus, cœptis iam conatibus, humanitate & officijs amabilis, & ſanctisſimus adoleſcens: qui è ſinu, votisqúe noſtris ablatus, triſtisſimum ſui, & periculoſum deſiderium reliquit. At qui non lachrymis, neque precibus reuocandus abeſt, nos opperitur, dolẽterqúe has calamitates deſpectat: ſuã illi ſedem, amore debito, & firma perpetuitatis opinione, tribuamus, eôdemqúe omni vita contendamus. Eſt enim omnibus idem locus, qui ſana in Deum mente feruntur, promiſſus: à quo nulla aberratione declinemus. Eadem præmia innocentiæ diuinæ propoſita, idem extremum: quam ſententiam animis conceptam, aliena ſpe, ſi cum Georgio noſtro eſſe volumus, imbui non patiamur, nec permutemus. Sed iam paucis, quibus deſideriũ leniri, quî enim dolor abſtergi posſit? addam.

Viuit adhuc Nicolaus Olahus, affecta quidem ætate, ſed integra valetudine, literarum elegantia, & vſu collecto, pręſtans, iſtius ipſius demortui auunculus. Hic non ſolùm natura, & officię in Patriam incenſus, non ambitioſa voluntate: ſed amore, & memoria dilecti Nepotis, nunquam committet, vt eius morte imminutum ſubſidium cuiq̃ dicatur, omnemq́ue demendam ſolicitudinem imperat. Supereſt vnà cum Matre, Nicolaus, frater germanus: quem pręſtantis ingenij vis non deficit, & qui patriæ iam nunc ſe ita dedidit: vt nulla difficultate eius languere, vel motuũ vi labefactari poſsit induſtria, aut vigilantia. Non Curtios, Horatios, non P. Decium, & alios fictos, ſed omniũ ætatũ exẽpla, ſi vixerit, ſuperabit. Neq; modo quæ honeſta, & in cõmune vtilia ſunt, mente cõplectitur: ſed dies, ac noctes, vt aliorum commodis editus videatur, elaborat. Hic etiam ipſe dolore ne omnia compleamus, hortatur, orat, in optimam ſpem erigit, facilitate omnes in admirationem trahit. In quo nihil inſolens, nihil odioſum: ſed cuncta placata, lenia, non minus quàm in Georgio, extant hu-

manisſima. His eius egregijs virtutibus Auunculus permotus, quēadmodum antea vtrunq; beneficijs ornarat plurimisq́, perfecit, vt nuper illi venuſtisſima, ſimul & pudētisſima Zlunia de Fregipanibus Comes, opera, & prompta voluntate Domini Thomæ Nadaſdij, Palatini Regni, &c. in matrimonio collocaretur. In cuius rei ſpectādæ cupiditate noſter Bona fuit tanta, vt ex eo auditum ſit, de producenda ſibi porrò vita; ſi nuptijs fratris intereſſe liceret, per exiguam fore ſolicitudinem reliquam. Nec ſecus euenit, vt ille diuinarat. Ea ipſa celebritate, nimio effuſus gaudio, febri arripitur, ac paulò poſt, vt dixi, ſolita religionis teſtificatione, obdormiuit. Ita proborum mētes nōn tantùm quæ ante pedes ſunt, cernūt: ſed quoque etiam futura ſibi enunciant. Sed tamen obijt vbi cupiebat, præſente Archiepiſcopo, in complexu Matris afflictę, in ipſa Arce Lād ſeer, quæ illi cum fratre communis erat: loco editisſimo, maximi operis munitione, multorum pagorum, & redituum poteſtate, in exitu Auſtriæ, & ingreſſu in Pannoniam amplo, ac tutisſimo. Vnde, ſi ſuperuixiſſet, cum fratre

omnes ſe Regni caſus aliquando ſolaturum, adeoq́ue, ſi periculum immineret, vita ab hoſtibus redempturum, fidenter, ac prolixè ſpondebat. Hactenus igitur dolendum, quòd eius opera, ad euerſionem rebus depoſitis, deſtituimur: quis enim talibus vitam non longisſimam comprecetur?

Vereor ne tam illuſtrium, & animi alti adoleſcentum occaſus, aliquid peius obnuncient. Talis ante annum nobis Ioannes Verantius, illius tot legationibus pro cõmuni ſalute, iudicio oĩum cogniti, Epiſcopi Agriẽſis, Antonij Verãtij διὰ τὸ ἔχειν ἐμπειρίας ὄμμα ὡς ὁρᾷ τὰς ἀρχὰς, nepos, luctuoſè exemptus eſt; ſuiq́ue deſiderio nõ minore affecit: quòd natura, & diſciplina nobis ad ſpem defenſionis eum oſtenderat: nec ſanè, quo erat iudicio, & gratia, & patrono quanto exiſtebat, inferiora præſtitiſſet. Nam ſi minima quæq́ue fax pro littore collocata, vagos, ac mari iactatos, paruo negocio, expedit: quid ſperare de tantis laborantem patriã oportuit? Profectò dum circumſpicio, & præſentia cum futuris coniungo, ad extrema cuncta propendent: nec fingi malum, quin vrgeat;

poteſt, quod aliquam ocij ſpem afferat, dubitationemque periculorum tollat, illud verò non video. Ita cum vitijs, & voluptatibus immerſi, tum viribus ad reſiſtendum debilitati & conuulſi ſumus: à bonis inermes hæſitamus, offendimus, titubamus: &, quod mirum, ſi quid reſtaret ad opem, tamen relaxatis quorũdã animis obſcura & deſperata oĩa exiſtunt, noui texuntur metus, ac dolores; & in quibus virtus opinione digna affulſerat, in ipſo acceſſu laudum, nos deſerunt, communionemque maleuolentia coopertam, fugiunt. Religionis, quod ante omnia deplorandum, ea varietas eſt, ita diſſenſionum contentionibus iactatur: vt propemodum, aliquis ne ſit Deus, num futura poſt ſit vita, addubitetur: tantum abeſt, vt rectam ſalutis viam, controuerſijs, odijsque accenſa diſputatio, patefaciat. His omnibus infinitè exercemur, de corporis, & animi libertate periclitamur: & non ad Chriſti collegiũ, animorumque cœtum immortalẽ, ſincerum, ſine moleſtia auolamus? & Georgium, non ità dum inquinatum, cœlo deuocare audebimus? Nullo, me hercule, iudicio vtuntur, qui

quod naturæ debetur, vel accuſare, vel vitare cupiunt: quaſi non ille ſit præcipuus vitæ finis, quo delatus eſt Bona: non optimus ſtatus, vbi incudisſimi virtutum, & beatitatis reſeruantur fructus. Gratulationem potius à nobis frater, ſuæ in cœlo acceſsionis, ac dignitatis expectat, non de caſu trahendum dolorem iubet. Quamobrem felicitati, quã ſecutus eſt, lachrymas donemus, ac memoriam, exemplo ſimili, tueamur: nec diutius mœrori pareamus. iſtud officium mortuo longè gratisſimum accidet. Quæ mutari nequeunt, ijs excruciandum ſe præbere, non ſtultum, ſed iniquum eſt. Nullis deinceps lamentis, nullis deſiderijs vt è libertate in carcerem ille redeat, efficiemus, idqúe velle inofficioſum eſſet. Satis vixit, canos ſenſus, non ætatem habens canam: nec quãtum, ſed quomodo vixerit, refert.

πολὺς γὰρ ἡμῖν ἐστὶ τεθνάναι χρόνος,
ζῶμεν δ' ἀριθμῷ παῦρα κομιδῆ ἔτη, vt Simonides iudicauit. Itaq; placuit anima eius Deo, icci rco de medio iniquitatis eripuit eam. Quapropter ego in primis, qui cum illi omnia erant, nomẽ eius iterum ac tertio vobis, ſi qui hæc legetis,

commendo, vtqúe tuendam ſuſcipiatis innocentiam,& pietatem, quæſo. Id vos, quæ veſtra eſt humanitas chriſtiana, & defunctorũ, quam præſtare debemus, memoria, id pietas, vt graue nunquam ſit, admonent. Id etiam maximè Reuerendus Auunculus, luctu, & ſqualore confectus; poſtulat: id cum Matre mœſtus Frater, amicè orat. Quorum precibus niſi vos locum dederitis, ingratos de adoleſcente optimo, ac ipſis virtutibus, oblitos religionis, inuidos; poſtremò parum humanos, declarabitis. ὁ γὰρ διαφέρων ἰσχύος ἀρετῇ τῶν ἄλλων, ἐστὶν ὡς θεὸς ἐν ἀνθρώποις. Quam opinionem vt ſequamini, aduerſariam à vobis vt longiſſimè propellatis, huncqúe mortuum ſermonibus honeſtis vſurpetis, vos etiam, ac etiam

more Chriſtiani, oramus, idemqúe vt ad cœlum aſcẽſus, vbi tota mens collocanda eſt, vobis detur, ſimul deprecamur.

C.

Epigrã

EPIGRAMMATA
FVNEBRIA
in mortem Georgij Bona &c.

Michael Sophianus.

Ἐσβέσθης, χρύσειε γεώργιε, σὺν δ' ἅμα πᾶσαν
   παιονίην δνοφεροῦ πένθεος ἔσχε νέφος.
δὴ γὰρ σε ζιπόθητον ἐπ' ἤθεσι, καὶ πραπίδεσσι,
   φεῦ, μοῖρα, θαλερῦς νόσφισεν ἡλικίης.

I. Cam.

Occidit hic pręſtans primo ſub flore Georgus
   Dum ſtudęt in patrio clarior eſſe ſolo.
Inuida mors iuuenẽ rapuit quem gloria factis
   Tempore conſpicuum reddere digna fuit.
Nõ aliter, q̃ planta virens mox veſpere lãguet:
   Eſſe dies vitæ ſic leuis ymbra ſolet.

τοῦ αὐτοῦ.

Γῆ μὲν ἔχει παιδικὴν ἔνδοξε γεώργιε σῶμα,
   αὐτὸς δ' ἀθανάτων δώματα κλεινὸς ὁρᾷς.

Nicolaus Iſtuanffij.

Te ſocio Italiam vidi, fructusque laborum
   In patria experti, non ſimul imus? Abi.
Non equidem inuideo me quod felicior alto
   Deſpectas ſolio, cùm volet hora, ſequar.

Andreas Duditius.

Τίφθ' ἑταῖροι μοῖραν ἐπιμέμφεσθ', ἦε ὅτι πᾶσι
   δῆλον ἀπρόθεν ἡμᾶς ὡς κενὰ πάντ' ἀρεταῖς;
λάμψας ἐπουράνιος, προπετῆ συγγενέτι τύχαν,
   ἄσβεσε καὶ σοφίαν, καὶ κλέος ὁπλοτέραν.
δύστανοι. πάντ' ἄκμην οἴχεται. οὐκ ἔτι πατρὶς,
   οὐκ ἔτ' ἐλευθερίη, κήδεται οὔτε θεός.

Ioan. Sambucus.

ὤλλεθ' ἅπασ' ἀρετὴ, παῖδες, λιπόκοσμος ὁ Βῶνα
   θαῦμα χρυσογλώσσων, τῶν φίλος ἔσκε θεῶν.
ἥρπασε τοῦτον πανδαμάτωρ μοῖρ', οὐκ ἀέκοντος
   θείου, ἐπ' ἀΐδιον, καὶ ἀπόθετον ὄναρ.
τὸν φίλοι, ὀρφανικὸς, σὺν πᾶσιν ὀδύρεται οἶκος,
   ἡ γῆ τ' ἧς κεῖτον φεύξεν ὁδ' αἰθέριον.
ἶσον τὴν σοφίαν, πραπίδας, καὶ τὰς μελεδῶνας,
   ἡμῖν, λυσιπόνῳ θυμὸς ἐν ἡσυχίᾳ.
εὐσεβέων παῖς ἦν ἀγαθὸς, τῷ κρεῖσσον' ὀπηδεῖ,
   αἰενάε σύνεδρος νέκταρι κ' ἀμβροσίᾳ.
νειόθι τῆς πέτρης τὸν ἀδαμρόδομητον ἀκεστὴν
   προσδέχεται κριτὴν, τοῦ πλέον ὅσσ' ἀνέφυ.

Idem.

Siquid nobilitas, ſi Virtus maxima poſſet,
Haud vita annoſa dignior vllus erat.
Si decus ingenij, pietas, ſi gratia formæ,
Ne raperet iuuenem mors properata, fuit.
Nemo Pannonijs maior natalibus illo,
At Virtute poteſt quilibet eſſe minor.
Doctrinā immēſis opibus cōiunxerat, omnes
Vt colerent patrij ſpemqúe decusqúe ſoli.
Bœmos, Italiam, te Teutona terra pererrans,
In propria duxit turpe latere domo.
Cuncta iacent tamē exitio, pœnaqúe verēda,
Vult cuius ſemper nos meminiſſe Deus.
Nam expectata diu fratris ſponſalia, lætus
Dum celebrat, febri non remorante, perit.
Id cupido licuit, ſed quid vidiſſe iuuabat?
Nempe fuit Cœli hoc conciliatus amor.
Quæ votis toties, & pura eſt mente precatus,
Promiſſa excipiunt gaudia: victor abijt.
Felix conſtanter maculas qui effugerit, eiuſq;
Iram vitarit, qui nocuiſſe poteſt.
Quē luctū patrię afflictæ, quē ſanguine iunctis
Attulerit, tanti mors inopina mali,

E lachrymis paſſim fuſis, damnoqúe recepto
Aeſtimet, ingenti & funere quiſq;, velim.
Et lachrymæ deſunt nobis, & verba, Georgi,
Lætitia nunquam diminuêre, dolor.
Tu tamen ob dotes animi, moresqúe, fidēqúe,
Continuus viuis, tectus inerte ſitu.
Nam corpus tantum terræ, ſed ſpiritus aſtris
Redditur, vnde ortus duxerat ille ſuos.
Nō ego, dū viuam, te, nec genus omne ſilebo,
Apta geret nomen cartula quæqúe tuum.
Viuito perpetuùm, iungent nos atria Chriſti,
Mens vbi cum ſocio corpore læta manet.

Epitaphium.

Hoc ſpes in tumulo patriæ, iuuenilibus annis,
Conditur: ęthernùm ſed valitura fides.
Qui ſtudio cunctis mirandus, moribus ante
Currens, in media concidit ille via.
O quātū eripuit miſero mors improba regno
Et decus, & famam, quæqúe dolenda tulit.
Sed tamē optata ſupereſt, ſemperqúe vigebit
Quam illi propicius contulit, arce, Deus.
Hæc poſuit charo pręſul monimenta Nepoti,
Strigonius, fletu proſequiturqúe locum.

FRANCISCVS ROBORTELLVS
Sambuco ſuo. S. D.

MAGNAM lętitiam, quę mihi antè afferre ſolebant, literæ tuæ, eas enim libenter lego, tùm quia perpolitæ ſunt, tùm quia te mei amantisſimum eſſe ſcio: magnum proximis diebus attulerunt dolorem quibus mihi ſignificabas de tàm præſtantis adoleſcentis, à quo nihil nõ erat expectandum, morte tàm ſubita: amabam ego illum mi Sambuce mirũ in modum, plurimiq́ue faciebam tũ propter ſingularem modeſtiam, & virtutem in omni genere, tùm quia Patauij, dũ meus eſſet auditor, ſummum in eo ingenium, & maximum ardorem in literis gręcis perdiſcendis perſpexeram: in quibus tàm magnos fecerat progreſſus, vt omnes ſuos nõ modò ęquales, ſed etiam qui prouectiore eſſent ætate, ſuperaret. Magnum certè, vt & tu ſcribis, non modò familiæ ipſius vulnus illatum, ſed & vniuerſę Pãnoniæ cenſeo: ſi .n. ab ijs, qui eximia ſunt virtute

IOANNES FASEOLVS

Ioanni Sambuco ſuo

S. P. D.

GEORGIVM tuum, atq; adeo noſtrum, non ſolum ſumma nobilitate, ſed etiam omnibus animi, corporiſq; dotibus ornatiſſimum adoleſcentē, ſuperioribus diebus in Pannonia diem ſuum obiiſſe, ex tuis literis cognoui. Quod mihi certę acerbiſſimum fuit. Amabam.n. rariſſimi iuuenis ingenium, indolem, mores, eumq; non ſolum ad præclaram omnem cognitionem: ſed ad laudabilem etiam quamcūq; actionem maximè aptum iudicabam. Sed quid agas optime Sambuce? Cenſorii certè Catonis ſententia, quam oraculi potius vim obtinere, Plinius eruditiſſimus vir exiſtimauit, veriſſima eſt. ſenilē namq; iuuentam, prematuræ mortis ſignum ſæpiſſimè eſſe videmus. Dii boni, quę noſtri huius adoleſcētis grauitas? quæ probitas? qui pudor? quæ modeſtia? quod in bonas artes ſtudium? Obſtupeſco ſanè cúm quo ardore, & qua penè perpetuitatę græcis literis, quas te duce, atq; auctore complexus erat, operam nauaret, mecum ipſe conſidero. Non ſolent profectó qui tam ſublimi in nobilitatis, rerumq; omniū gradu à fortuna, aut Deo potius Opt. Max. conſtituti ſunt, tales eſſe. At is ſemper fuit huius adoleſcentis ſenſus, vt veram nobilitatē non in inani quadam fumoſarum imaginum ſerie, vt ipſe aliquando dicere ſolitus erat, ſed in præclara ſuorum maiorum imitatione collocatam putaret. Neq; mirum ſi aut ita ſentiret, aut

loqueretur, qui illud Ariſtotelis γνῶσις, te, vt opinor, oſtendente, iam nouiſſet. Incitabantq́ eum quamplurima maiorum facta: mihiq́ perſæpe permultorū ſuorum tùm paterni, auitiq́ ſanguinis, tùm materni præclariſſimas actiones enarrare ſolebat. Quem verò in primis propoſitum haberet, quem vnum præſertim imitari cuperet, ad cuiusque exemplum ſe totum, ſuamq́ omnem vitam fingeret, atq; formaret: is Nicolaus Olahus auunculus erat. Hūc enim Strigonienſem Archiepiſcopum Ferdinando Cæſari, Regi veſtro iucundiſſimum ſummæ auctoritatis in tota ea regione virum, egregia probitate, eximiisq́ omnibus virtutibus præditum, in ore ſemper habebat. Doleo equidem mea, doleo tua, ſed doleo imprimis de immatura Georgii morte, illuſtriſſimi huius viri cauſſa. Nobis namq; cariſſimus fuit, quia tibi priuatim, mihi autem publicè fuerit auditor: huic vero ex ſorore nepos, qui ex inſigni quodam erga eum amore, potius iam filius dicendus eſſet. Permulta attamen ſunt, quæ virum ampliſſimum atq; ſapientiſſimum conſolari poterunt: quæ tibi quoq;, quæ tua eſt doctrina, atq; humanarū rerum vſus, notiſſima ſunt. Haud enim iam longior futurus ſum, opt. Sambuce, quippe cū & ex huius adoleſcentis deſiderio vehementer angar: & ad eum hominem me nunc ſcribere intelligam, à quo potius propter eius peritiam, quæ ad animi motiones ſedandas valent, petenda ſint; quàm vt aliorum ope egere videatur. Vale igitur, meq́ quamprimum ad vos, domumque rediturum expecta: hanc autem communem omnium hominum conditionem æquo animo ferto, ſenectamq́, vt ille ait, in pœnam viuacem eſſe, in memoria habeto. Venetiis V. Calend. Nouemb. M.D.LIX.

Aliud Epitaph. Samb.

Parta volunt, ſuperis ceſſit, mortalis honores,
Mortuus æternum nomen adeptus, abiit.

Aliud

Aliud.

Hac pietas, Muſæ, Virtus, hac candor amicus
Mole ſubeſt, Chriſti dũ mora cuncta tegit.
Sed tuba cùm exciuit rediuiuos, ante tribunal
Hoſtes qui ætherno Iudice vincet, erit.
Sic fit mens propior cœlo, quò longius imis
Tempore ſecedit, perpetiturque nihil.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARAPHRASIS
Orationis Dominicæ.

DEus Pater, qui ab æterno, ſine fine, in cœleſti habitatione, vbique cùm ſis, longè domicilio te anguſtisſimò, contines, vnde cuncta dependent, & qui omnium communis eſſe Pater, ac dici vis, te piè colentium: Ne irritum ſit nomen tuũ inter nos, ac vacuum: ſed illud ſanctè revereamur, & ad felicitatem nobis propoſitam, cupidè abutamur. vt adueniat, & compleatur tandem regnum illud optatisſimum beatis, & electis, abſque vllo peccato reliquo. Ac vt in cœlis quàm libentisſimè tuũ ad nutum parent omnia, ſine mora, ſine odio, vel ira, pleno cum gaudio: ita, efficias, vt prõpti læte iuſſa tua capeſſamus, eaqúe, ſolita tibi gratia, non minus, quàm iſtîc tua qui ſuauisſima, & interminata conſuetudine fruuntur, adimpleamus. Iàm in hac peregrinatione, accerſitoqúe nobis ſpontè exilio, donec verſamur, ac veterem hominem confectum, prorſus aboleamus: ſuppedita nobis, quæ ad hoc

ſpatium decurrendum neceſſaria, tu vnus omnium optimè, animaduertis. Atque non modò panem hunc, victum & amictum, quibus ſolis non viuimus, præbeas: ſed quo Angeli, & cæteri in cœlum ſuſcepti, æternùm veſcuntur, fidem, ac verbi, tuique ipſius veram intelligentiam. Et quia dum in iſta cum carne animæ coniunctione degimus ſine peccato eſſe, merito nequimus noſtro: quomodo nos facti tamus, ita remitte nobis facilè, quod in te, vel proximum noſtrum admiſimus. Neque nos periculoſè in tentationem abduci patiare: ſed vt, per quæuis mala periclitati, probatione ad omne bonum proficiamus: adeoqúe per te, à tẽtatore illo, cùm in perniciem quid noſtram, vehementius incumbens, molietur, liberemur, & id quidem propter Filium tuũ coëthernum, per Spiritum ſanctum. Amen.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

